CORNELII TACITI

DE ORIGINE ET SITV GERMANORVM LIBER

RECENSVIT

ALFRED HOLDER

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXVIII

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEVBNERI

VIRO · INLVSTRISSIMO

KAROLO · BERNHARDO · STARK

PRAECEPTORI · OPTIMO · CARISSIMO

DE · SE · QVAM · MAXIME · MERITO

HVNC · LIBELLVM

PIETATIS · DOCVMENTVM · EXTARE · VOLVIT

EDITOR

- **H** = codex Hummelianus
- *γ* = archétypus codicum **M** et **S**
  - **M** = codex Chiemensis nunc Monacensis lat. 5307
  - **S** = codex Comburgensis nunc Stutgartiensis
- *α* = consentientes **A″** et Perizonianus uel **A′** et *a*
  - **A″** = **A** et *a* inter se congruentes
    - **A** = codex Vaticanus 1862
    - *a* = editio Viennensis s. a. (1509)
  - **A′** = archetypus codicum **A** et Perizoniani

1. Germania omnis a Gallis Raet*i*sque et Pannoniis Rheno ac Danuuio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum inmensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit.

Rhenus, Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti uertice ortus, modico flexu in occidentem uersus septentrionali Oceano miscetur. Danuuius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum os paludibus hauritur

2. Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium aduentibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus aduehebantur qui mutare sedes quaerebant, et inmensus ultra utque sic dixerim aduersus Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur. quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi sibi patria sit?

Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Teutonem deum terra editum. ei filium Mannum, originem gentis conditoremque, |

CORNELII TACITI DE ORIGINE ET SITV GERMANORVM LIBER INCIPIT **A''** Cornelÿ Taciti de origine et Situ Germanorū **M** Cornelÿ Taciti de origīe ritv et: ~ | moribus germanorꝫ felicit' incipit **S₂**

1. 1. Rethisqʒ *ed. Vienne Pannonie 1515* raecÿsqʒ **H** retiisque **MA** Rethiisqʒ *a* recÿs **S** ‖ 2. ac danuuio **H** et danubio *γα* ‖ 5. ac] et *γ* ‖ 6. raeticarum **H** ret: *γ***A** rhet: *a* ‖ 8. danuuius **H** danubius *γα* ‖ et] ac **H** ‖ 9. abnobe **H** arnobae **MA** arnobe **S** arbonae **A***uar. a* ‖ effusus] effusis **H** ‖ pluris *α* plures **H***γ*

2. 8. sibi **HS** si **MA''** ‖ 10. Teutonem *archetypus, cf. Isidori or. 18, 7, 7 cod. Vuizenburgensis* bistonem *aut* vistonem **H** histonem **S₂***uar.* tristonē **A'** tuisconem **H***uar.* **S***a* ‖ 11. ei **HMA'** et **S** cui *a* ‖ mannum **H***marg. α* mãnū **S** manum **M** marnum **H** ‖ conditorẽ **H** conditoris **MA'** condiroris *a* conditorios **S**

Manno tris filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaeuones, medii Herminones, ceteri Istaeuones uocentur. quidam, ut in licentia uetustatis, pluris deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos Gambriuios Suebos Vandilios affirmant; eaque uera et antiqua nomina. ceterum Germaniae uocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani uocati sint. ita nationis nomen, non gentis eualuisse paulatim, ut omnes primum a uictore ob metum, mox et a se ipsis inuento nomine Germani uocarentur.

3. Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium uirorum fortium ituri in proelia canunt.

Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum uocant, accendunt animos futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur; terrent enim trepidantue, prout sonuit acies, nec tam uoces illae quam uirtutis concentus uidentur. affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et grauior uox repercussu intumescat. | Ceterum et Vlixen quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolatur, ab illo constitutum nominatumque.

Aram quin etiam Vlixi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae Raetiaeque adhuc extare. quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quis-

---

12. tris *α* tres **H***γ* ‖ 13. ingaeuones **H** ingeuones *α* ingaenones **S** ingvenones **S_2** ingenoues **M** ‖ herminones **H***γa* hermiones **A′** ‖ istaeuones **HA′** isteuones *a* istaenones **S** isrenones **M** ‖ 14. pluris **A′** plures **H***γa* ‖ deo **H***uar.* *γα* de eo **H** ‖ 15. Marsos] marsossi **S** ‖ gambriuios *α* ʒambruuos **H** gambrunos **M** gambrios **S** ‖ sueuos *γ***A′** suetios *α* ‖ uandilios **MA″** wandilios **S** uandileos **H***uar.* uandalos **H** ‖ 17. aditū **H** ‖ 18. tungri *α* tinigri **S_2** t‖mgri **S** tungari **M** ‖ 19. sint **MA′** sunt **HS***a* ‖ 20. et **H***γa* etiam **A′**

3. 4. barditū *γ***A′** baritū **H***a* ‖ 7. uidentur **HM***α* uidetur **S** ‖ 9. Vlixen] ulyxen **A** vlixem *a* ‖ 12. incolatur **HM** incolitur **S***a* ‖ nominatumque **S***a* nominatumque *ante lacunam* **HM** nominatumque ασκιπυργιον **A** ‖ 13 Vlixi] ulyxi **A′** vlixe *a* ‖ 14. repertam] reperta **H_1***γ* ‖ monumentaque *γa* monimentaque **HA** ‖ 15—16. Germaniae Raetiaeque] raecie germanie que **H** ‖ 16. rętię **A** retie *a* recie *γ*

que demat uel addat fidem. 4. Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus. truces et caeruli oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum ualida: laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo soloue assueuerunt.

5. Terra etsi aliquanto specie differt, in uniuersum tamen aut siluis horrida aut paludibus foeda, *u*midior qua Gallias, uentosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque inprocera.

Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis; numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt.

Argentum et aurum propitiine an irati dii negauerint dubito. | Nec tamen affirmauerim nullam Germaniae uenam argentum aurumue gignere; quis enim scrutatus est? possessione et usu haut proinde afficiuntur.

Est uidere apud illos argentea uasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia uilitate quam quae humo finguntur. quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, || formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt. | interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur.

Pecuniam probant ueterem et diu notam, serratos bigatosque.

Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac uilia mercantibus. 6. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur.

Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur: hastas uel

---

4. 3. conubys **M** connubiis **HS***a* || 6. ceruli **HA** cerulei *γa* || 9. assueuerunt **S***a* assueuermtt **M** assuerunt **A'** assueuerĩt $\mathbf{S_2}$

5. 2. humidior *codd.* || 7. eeqȝ **HA''** heeqȝ **S** atqȝ **M** || 11. haut **M** haud **S***a* || proinde **HM** perinde **S***α* || 21. affectione **HM***a* affeccōe **S** affectatione **A'**

ipsorum uocabulo frameas gerunt angusto et breui ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, uel comminus uel eminus pugnent.

Et eques quidem scuto frameaque contentus est; pedites et missilia spargunt pluraque singuli, atque in inmensum uibrant, nudi aut sagulo leues. nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distingunt. paucis loricae, uix uni alteriue cassis aut galeae. | Equi non forma, non uelocitate conspicui.

Sed nec uariare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. in uniuersum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam uelocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant.

Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos uocantur, et quod primum numerus fuit, iam nomen et honor est.

Acies per cuneos componitur. cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

7. Reges ex nobilitate, duces ex uirtute sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt.

Ceterum neque animaduertere neque uincire, ne uerberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed uelut deo imperante, quem adesse bellan-

---

6. 5. habili *α* abili **HS** alibi **M** ‖ 6. cõminus **A** cominus *cett.* ‖ 8. in ĩmensum **HS***a* ī mensū **A** inmensum **M** ‖ 10. distingunt *γ***A′** distinguūt *a* distinguuntur **H** ‖ 11. galeę **A′** galee **HS***a* galie **M** galea *Arundelianus et Turicensis* ‖ 14. flexu **HMA′** fluxu **S***a* ‖ coniuncto **A″** cuncto **H***γ* ‖ 18. delectos *γα* dilectos **H** ‖ 20. quod] quidem **A′** q̧ *a* ‖ primum **HS** primo **M***α* ‖ 26. adire (in *supra*) **H**

7. 2. aut **M***α* ac **HS** ‖ et **H***γa* etiam **A′** ‖ 3. si conspicui] ac conspicui **H** ‖ 5. uincire **H***α* uincere *γ*

tibus credunt. effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt. quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audi*tur*, unde uagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores: ad matres, ad coniuges uolnera ferunt; nec illae numerare et exigere plagas pauent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant. | 8. Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captiuitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur.

Inesse quin etiam sanctum aliquid et prouidum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. uidimus sub diuo Vespasiano Vel*ae*dam, diu apud plerosque numinis loco habitam; sed et olim Albr*un*am et compluris alias uenerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

9. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent.

Herculem ac Martem concessis animalibus placant.

Pars Sue*b*orum et Isidi sacrificat.

Vnde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnae figuratum docet aduectam religionem.

Ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur.

Lucos ac nemora consecrant deorumque nominibus appellant secretum illud quod sola reuerentia uident.

10. Auspicia sortesque ut qui maxime obseruant. | sor-

---

8. et] ac **H** || 10. non casus *bis* **H** || 11. et prop: *γa* aut prop: **A′** || 12. auditur *Nipperdey* audiri *codd.* || 14. uolnera **A″** uulnera *cett.* || et **H***γ* aut *α*

8. 3. comminus **A″** cominus *cett.* || 8. neglegunt **A** negligunt *cett.* || 10. Albrunam *Wilh. Wackernagel* albriniam **A′***marg.* auriniam **HS***α* auarinia **M** || cõpluris *α* complures *cett.*

9. 3. Herculem (Hercule **M**) ac **H***γ* Herculem et *a omis.* **A′** placant] placant et herculẽ **A′** || 4. sueuorum **H***γa* suenorũ **A** || 9. assimular̃ **A′** assitare **S** assimilare **M***a*

tium consuetudo simplex. uirgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam uestem temere ac fortuito spargunt. mox, si publice consuletur, sacerdos ciuitatis, sin priuatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. et illud quidem etiam hic notum, || auium uoces uolatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur isdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex uel princeps ciuitatis comitantur hinnitusque ac fremitus obseruant. nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, apud proceres, apud sacerdotes; se enim ministros deorum, illos conscios putant.

Est et alia obseruatio auspiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. | eius gentis, cum qua bellum est, captiuom quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt: uictoria huius uel illius pro praeiudicio accipitur.

11. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur.

Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; | nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.

Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem uidetur.

Illud ex libertate uitium, quod non simul nec ut iussi conueniunt, sed et alter et tertius dies conctatione coeuntium absumitur. ut turbae placuit, considunt armati.

---

10. 4. temere] tenent **H** || fortuito **HS**α fortuitu **M** || 5. consuletur **H**α consoletur **S** consulent̃ **M** || 12. isdem **S** hisdem **M** iisdem α || 17. illos **H**γa istos **A**′ || 19. explorant **H**γa exploratur **A** || captiuom **A** captiuū **S**a captū **M** || 21. quemqȝ **HM**a quenqȝ **SA** quoque **H**$uar.$ || 22. preiudicio **H**γa iudicio $\mathbf{A}_1$

11. 1. principes γ**A** principẽ **H** || 5. inchoatur **H**γa incohat̃ **A** || 10. conctatōe **H** conctacōne **S** contatiōe **A**a cũctacione **M** || 11. absumitur **S**α adsuītur $\mathbf{S}_2$ assumitur **M** || turbe *codd.* turba *J. Fr. Gronov*

Silentium per sacerdotes, quibus tum et cohercendi ius est, imperatur. mox rex uel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: | honoratissimum assensus genus est armis laudare. | 12. Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. distinctio poenarum ex delicto. | proditores et transfugas arboribus suspendunt; | ignauos et inbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. diuersitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.

Sed et leuioribus delictis pro modo poenarum equorum pecorumque numero conuicti multantur. pars mul*t*ae regi uel ciuitati, pars ipsi, qui uindicatur, uel propinquis eius exsoluitur. | eliguntur in *i*sdem conciliis et principes, qui iura per pagos uicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt. 13. Nihil autem neque publicae neque priuatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris quam ciuitas suffecturum probauerit. tum in ipso concilio uel principum aliquis uel pater uel propinquus scuto frameaque iuuenem ornant: haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos; ante hoc domus pars uidentur, mox rei publicae.

Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam ad*u*lescentulis assignant: ceteris robustioribus ac iampridem probatis adgregantur, nec rubor inter comites aspici.

Gradus quin etiam ipse comitatus habet iudicio eius quem sectantur; | magnaque et comitum aemulatio, quibus

---

12. tū **HS***corr.* tñ **S***a* tamen **MA′**

12. 5. crate *α* $\mathbf{S}_2$ grate **S** gratem **M** et crate **H** ‖ illuc **H***corr.* **M***α* illud **HS** ‖ 8. multantur **A** mulctantur **HM***a* mcľtanť **S** ‖ mulcte **HMA″** mcľte **S** ‖ 9. uindicatur **H***γa* uindicauit **A′** ‖ 10. hisdem **HM** iisdem *α* **S** ‖ 12. adsunt **HS***a* assunt **M** adest adsunt **A**

13. 4. tum **H***a* tum eutu **M** cum **SA′** ‖ 5. ꝓpinquus **HM** propinqui **S***α* ‖ 9. dignationem **H***a* dignacōem **S** donacione **M** dignitatem **A′** ‖ adulescentulis *codices Arundelianus et Harleianus, editiones Norimb. 1473 Erphord. 1509 Lips. 1509* adolescentulis *cett.* ‖ 10. rubor **H***α* robor **S** robur **H***uar.* **M**

primus apud principem suum locus, et principum, | cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae uires, magno semper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium.

Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero ac uirtute comitatus emineat.

Expetuntur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant. 14. Cum uentum in aciem, turpe principi uirtute uinci, turpe comitatui uirtutem principis non adaequare. | Iam uero infame in omnem uitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est.

Principes pro uictoria pugnant, comites pro principe.

Si ciuitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium ad*u*lescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi ui belloque tueare. | Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equom, illam cruentam uictricemque frameam. nam epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt, materia munificentiae per bella et raptus. nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris quam uocare hostem et uolnera mereri. pigrum quin immo et iners uidetur sudore adquirere quod possis sanguine parare. | 15. Quotiens bella non ineunt, non multum uenatibus, plus per otium transigunt dediti somno ciboque; fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, || delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia; || ipsi hebent, mira

---

14. principum **HS***α* principium **H***uar.*, **M** || 15. *post* vires *punctum* **H**

14. 3. infame in] infamem $\mathbf{H}_1$**S** || 4. superstitem principi] supstitẽ principe **H** || 5. eius **H***γα* ẽ **A** || 9. adulescentium *Harleianus* adolescentium **HA'** adolescencium **M** adelescēciū **S** adolescentū *a* || 12. tueare **H***γα* tuentur **A'** || principis *γα* principes **H** || 13. equom **M** equum **HS***α* || 17. uolnera **A** vulnera *cett.*

15. 5. hebent **SA** ebent **H** habēt **M** habitant *a*

diuersitate naturae, cum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem.

Mos est ciuitatibus ultro ac uiritim conferre principibus uel armentorum uel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subuenit.

Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed et publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque; iam et pecuniam accipere docuimus.

16. Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes.

Colunt discreti ac diuersi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.

Vicos locant non in nostrum morem c*on*exis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium siue inscitia aedificandi.

Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. | Quaedam loca diligentius inliniunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac liniamenta colorum imitetur. solent et supterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi l*a*cis molliunt: || et, si quando hostis aduenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt. |

17. Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt.

Locupletissimi ueste distinguntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente.

Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negl*e*genter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus.

---

6. idem **HM** ydem **S***a* || 12. a singulis **S***a* singulis **HM**

16. 5. locant **H***y* longant *a* || connexis *codd.* || 8. ne **S***a* nec **HM** || 10. inliniunt **HM** illiniũt **S** illinũt *a* || 11. liniamẽta **HS** lineamẽta **MA″** || colorum *codd.* locorum *Nipperdey* || 12. supterraneos **A′** subterraneos *ya* || 13. quia **HM***a* qui **S** || 14. frigorum] *omis.* **M** || lacis *scripsi* locis *codd.*

17. 5. sarmate **M** sarmathe **S** samrate *a* || 6. Gerunt **H***ya* Ferunt **A′** || negligenter **H***corr.* *ya* negligentius **H***pr.*

eligunt feras et detracta uelamina spargunt maculis pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. nec alius feminis quam uiris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus uelantur eosque purpura uariant, partemque uestitus superioris in manicas non extendunt, nudae bra*c*chia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

18. Quamquam seuera illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaueris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiunt.

Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebr*i*s quaesita nec quibus noua nupta comatur, sed boues et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur, atque inuicem ipsa armorum aliquid uiro adfert. hoc maximum uinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. ne se mulier extra uirtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, uenire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque: hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic uiuendum, sic pariendum: accipere se quae liberis inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant rursus, quae ad nepotes referantur. 19. Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae.

Litterarum secreta uiri pariter ac feminae ignorant.

Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens et maritis permissa: abscisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus ac per omnem uicum uerbere agit; publicatae enim pudicitiae nulla uenia: non

---

10. alius **HMA** alÿs **S***a* ‖ 13. bracchia *Magliabechianus et ed. Lips. 1502* brachia *cett.*

18. 4. ambiunt **H** ambiuntur *γα* ‖ 7. muliebris *Harleianus, Florentini Laurentianus et Magliabechianus* muliebres *cett.* ‖ 10. arcana **A′** archana **H***γa* ‖ 13. incipientis **HM** incipientibus **S***α* ‖ 16. uiuendum] uineū **S** ‖ pariendum **HMA″** pieū **S** ‖ 18. que **HMA** q̄ *a*, q̂ **S** ‖ referantur **HA′** inferãtur **S** deferant̃ *a*

19. 1. septa **H***γα* septe *Arundelianus* ‖ 6. abscisis **S** abscissis **M** adcisis **A** accisis *a* ‖ 7. ac] et **H**

forma, non aetate, non opibus maritum inuenerit. nemo enim illic uitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum uocatur. melius quidem adhuc eae ciuitates, in quibus tantum uirgines nubunt et cum spe uotoque uxoris semel transigitur. sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque uitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium ament.

Numerum liberorum finire aut quemquam ex adgnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores ualent quam alibi bonae leges. 20. In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. dominum ac seruum nullis educationis deliciis dinoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, uirtus agnoscat. sera iuuenum uenus, eoque inexhausta pubertas. nec uirgines festinantur. eadem iuuenta, similis proceritas; pares ualidaeque miscentur; ac robora parentum liberi referunt.

Sororum filiis idem apud auunculum qui ad patrem honor. quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam eti*am* animum firmius et domum latius teneant. heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, auonculi. quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

21. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est; nec inplacabiles durant: ‖ luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero recipitque satisfactionem uniuersa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

---

9. inuenerit **HM***a* īueñet **A** inuenitur **S** ‖ 11. ee **HA″** esse **M** ex **S**
20. 3. ac **HS***a* aut **MA′** ‖ 4. dinoscas **HMA″** dignoscas **S** ‖ 13. etiam animum *Thomas* et ī animum **A′** et inaĩm $\mathbf{H}_1$ et in aman **S** et ãi[m] **M** et animum $\mathbf{H}_2$*a* ‖ 16. auonculi *a* auūculi **H**γ**A′** ‖ quo $\mathbf{H}_1$ quanto *corrector cod. Vaticani Vrb. 655* tanto $\mathbf{H}_2$**S**α tam **M** ‖ 17. gratior **H***a* gracior **M** gratiosior **A′** graciosior **S**

Conuictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. cum defecere, qui modo hospes fuerat monstrator hospitii et comes, proximam domum non inuitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotumque quantum ad ius hospitis nemo discernit. abeunti, siquid poposcerit, concedere moris; et poscendi inuicem eadem facilitas.

Gaudent muneribus, sed nec data imputant nec acceptis obligantur.

Victus inter hospites com*mun*is. 22. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, ‖ lauantur, saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa. tum ad negotia nec minus saepe ad conuiuia procedunt armati. diem noctemque continuare potando nulli probrum.

Crebrae, ut inter uinulentos, rixae raro conuiciis, saepius caede et uulneribus transiguntur. | Sed et de reconciliandis inuicem inimicis et iungendis affinitatibus et adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conuiuiis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat.

Gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci. ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salua utriusque temporis ratio est: deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt.

23. Potui *u*mor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem uini corruptus: proximi ripae et uinum mercantur. cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum: sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. aduersus sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haut minus facile uitiis quam armis uincentur.

---

21. 6. alia **H***γa* aliqua **A′** ‖ 12. abeunt $\mathbf{H}_1$ ‖ 16. communis *Selling* cómis **A** comis **HM***a* comes **S**

22. 1. e **HM***a* ẽ **S** eĩm **A′** ‖ 3. hiems **H** hyems **A″** hyemps *γ* ‖ 7. uinulentos **H** uinolentos *γα* ‖ 9. inimicis **H***γ***A′** inimicicÿs *a* ‖ 13. adhuc **M** ad huc **H** ad hoc **S** ad hec *α* ‖ 14. ioci **H***uar. α* loci **H***γ*

23. 1. humor *codd.* ‖ hordeo **M***α* ordeo **HS** ‖ 6. haut **H** hanc **M** haud *α omis.* **S**

24. Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. nudi iuuenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem parauit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamuis audacis lasciuiae pretium est uoluptas expectantium.

Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendiue temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. uictus uoluntariam seruitutem adit: quamuis iuuenior, quamuis robustior, alligari se ac uenire patitur. ea est in re praua peruicacia: ipsi fidem uocant. seruos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore uictoriae exsoluant. 25. Ceteris seruis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penatis regit; frumenti modum dominus aut pecoris aut uestis ut colono iniungit, et seruus hactenus paret. cetera domus officia uxor ac liberi exequuntur. uerberare seruum ac uinculis et opere cohercere rarum: occidere solent, non disciplina et seueritate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune est.

Liberti non multum supra seruos sunt: raro aliquod momentum in domo, numquam in ciuitate, exceptis dumtaxat *is* gentibus quae regnantur. ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

26. Faenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque magis seruatur, quam si uetitum esset. agri pro numero cultorum ab uniuersis uice occupantur; quos mox inter se secundum dignationem partiuntur; facilitatem partiendi camporum spatia praebent. arua per annos mutant, et superest

---

24. 3. saltu] se **H***pr.* ‖ 5. expectantium **HA** expectanciū *γ* spectantium *a* ‖ 11. praua H_2*γα* parua H_1 ‖ 12. exsoluāt **HS** exoluant **M***α*

25. 2. ministerÿs **H***γa* ministris **A′** ‖ 3. penatis *a* penates **HSA′** penas **M** ‖ 4. ut **HS** aut **M***α* ‖ 5. ac liberi *α* et liberi *γ* ‖ *uu.* 9—13 *in extremo capite 26 post* ignorantur *in* **A′** ‖ 10. is *ed. Vienn. 1515* iis *α* his **H** hÿs *γ* ‖ 11. regnantur **S***α* regnant **HM**

26. 3. vice **H** vices *γ* in uices **A″** ‖ 4. dignationem *α* dignacionem **HM** dignos **S** ‖ 5. p̄bēt **H** prebent A_2*uar.* p̄stant **S** preſtant **MA′** ‖ et] et (ut superscr.) **H**

ager. nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent *a*ut hortos rigent: sola terrae seges imperatur. unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et uer et aestas intellectum ac uocabula habent, autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

27. Funerum nulla ambitio: id solum obseruatur, ut corpora clarorum uirorum certis lignis crementur. struem rogi nec uestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. sepulchrum caespes erigit: monumentorum arduum et operosum honorem ut grauem defunctis aspernantur. lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. feminis lugere honestum est, uiris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus; nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigrauerint, expediam.

28. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum diuus Iulius tradit, eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos: quantulum enim amnis obstabat quo minus, ut quaeque gens eualuerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia diuisas?

Igitur inter Hercyniam siluam Rhenumque et Moenum amnes Heluetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere manet adhuc Boih*a*emi nomen signatque loci ueterem memoriam quamuis mutatis cultoribus. sed utrum Arauisci in Pannoniam a Bois, Germanorum natione, an Osi ab Arauiscis

---

6. labore **HSA″** laborare **MA***uar.* ‖ 7. separent $\mathbf{H}_2$*ya* seperent $\mathbf{H}_1$**A′** secent **H***uar.* ‖ ut **H***yα* aut *Nipperdey* ‖ 9. hiems **H** hyems **SA″** hyemps **M** ‖ 11. *post* ignorantur *in* **A′** *secuntur capitis 25 uerba* Liberti — argumentum sunt.

27. 4. sepulchrum **H***ya* sepulcrū **A′** ‖ 7. est] *omis.* **H** ‖ 8. LIBER scDs *post* meminisse $\mathbf{S}_2$

28. 1. auctorum **HS** autorum **M***a* autor $\mathbf{S}_2$*uar.* **A′** ‖ 6. hercyniā *a* hercyniam **M** hircyniā **A′** hircimā **S** ‖ 8. boiihemi nomen **H** bohiemi nomē **S** bohemi nomē adhuc boẏ heimonē **M** boihemi nomen **A″** Boyemionẽ **A***uar.* bohvemi $\mathbf{S}_2$ bohemi nomen **H***marg.* ‖ signatque **HM***a* significatqȝ **SA** ‖ 9. arauisci **HM***α* aranisci **S** ‖ 10. a bois **HM** a boiis **S***α* ‖ an osi $\mathbf{H}_1\mathbf{S}_2$*uar.* *α* onosi **M** an boi **H***marg.* an boy **S** ‖ arauiscis **HM***α* araniscis **S**

in Germaniam commigrauerint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant. | Treueri et Neruii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur.

Ipsam Rheni ripam haut dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. *ne* Vbii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine uocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

29. Omnium harum gentium uirtute praecipui Bataui non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. manet honos et antiquae societatis insigne; nam nec tributis contemnuntur nec publicanus atterit: exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi uelut tela atque arma bellis reseruantur.

Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens; protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque ueteres terminos imperii reuerentiam. ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.

Non numerauerim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danuuiumque consederint, eos qui Decumathes agros exercent: || leuissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupauere; mox limite acto

12. quia **H***γa* qui **A′** || 14. neruii **H** neruli $\mathbf{H}_2$*γα* || affectationem $\mathbf{H}_2$*α* affectionem $\mathbf{H}_1$*γ* || germanice **SA″** germanie **HM** || 15. a $\mathbf{H}_2$*γα* et $\mathbf{H}_1$ || 17. haut **M** haud **HS***α* || 18. ne Vbii *Gruterus* ubÿ $\mathbf{H}_1$*a* nubii $\mathbf{H}_2$*γ***A′** || quidem] qui **S** || 22. collocati **H***γa* conlocati **A**

29. 1. bataui **H***marg. a* batani **S** batauÿ **A** batami **M** bathi **H** || 2. chattorum **HS***a* chactorū **M** cattorum **A′** || 9. mattiacoꝝ **MA′** mactiacorum **H** matticoꝝ *a* || 12. mente: **H** mente *γα* manente **H***marg.* || animoque *γα* animo **H** || 13. batauis **HM***α* batanis **S** || sue solo et **HSA** solo suo *a* sue solet **M** || 16. danuuium **H** danubium *γα* || decumathes **HSA″** deum a thes **M** || 18. acto $\mathbf{H}_1$*γα* aucto $\mathbf{H}_2$

promotisque praesidiis sinus imperii et pars prouinciae habentur.

30. Vltra hos Chatti initium sedis ab Herquinio saltu inchoant; non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae ciuitates in quas Germania patescit, durant, siquidem colles paulatim rarescunt et Chattos suos saltus Herquinius prosequitur simul atque deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax uoltus et maior animi uigor. multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, disponere diem, uallare noctem, fortunam inter dubia, uirtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant: alios ad proelium ire uideas, Chattos ad bellum. rari excursus et fortuita pugna. equestrium sane uirium id proprium, cito parare uictoriam, cito cedere: uelocitas iuxta formidinem, conctatio propior constantiae est. 31. Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et priuata cuiusque audentia apud Chattos in consensum uertit, ut primum adoleuerint, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste caeso exuere uotiuum obligatumque uirtuti oris habitum. super sanguinem et spolia reuelant frontem, seque tum demum pretia nascendi retulisse dignosque patria ac parentibus ferunt: ignauis et inbellibus manet squalor. fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) uelut uinculum gestat, donec se caede hostis absoluat. | Plurimis Chattorum hic placet habitus, iamque canent

---

30. 1. ultra **HS***a* ultroc **M** ulera **A′** ‖ chatti **A″** catti **H***γ* ‖ herquinio **HM** hercynio *a* hircynio **A** hircino **S** ‖ 2. inchoant **M***a* incohant **S** ĩncohat **A** ‖ 3. patescit *γa* patescit, **A** ‖ durant **HS** durat **M** durant. *α* ‖ 4. chattos **MA″** cattos **S** ‖ herquinius **HM** hercinius *a* hircynius **A** hircinius **S** ‖ 5. atque **H***γa* ac **A′** ‖ 6. voltus **S** uultus **M***α* ‖ animi **S***α* animis **H** *omis.* **M** ‖ 8. intelligere *codd.* ‖ 11. concessum *α* concensū **M** consensum **S** ‖ 12. quem **H***marg.* *α* qm̃ **M** q̃ȝ **H** q̄ **S** ‖ ferramentis] fermamentis **H** ‖ 14. chattos **HSA″** chartos **M** ‖ rari *γα* raro **H** ‖ 16. conctatio **A** cunctacio *γ* contatio *a* ‖ propior **H**₂*α* proprior **HS** propriora **M**

31. 2. rara **A″** Rara **HS** raro **MA***uar.* ‖ chattos **MA″** cattos **HS** ‖ 6. nascendi **H***γ***A***uar.* noscendi *α* ‖ 10. chattorū **MA″** cattorū **S** ‖ canent **H***γ***A′** cauēt *a*

insignes et hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, uisu noua; nam ne in pace quidem cultu mitiore mansuescunt. nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque uenere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exanguis senectus tam durae uirtuti impares faciat.

32. Proximi Chattis certum iam alueo Rhenum quique terminus esse sufficiat Vsipi ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt; nec maior apud Chattos peditum laus est quam Tencteris equitum. sic instituere maiores, posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuuenum aemulatio, perseuerant senes. inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non ut cetera maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

33. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos et Angriuarios immigrasse narratur pulsis Bructeris ac penitus excisis uicinarum consensu nationum, seu superbiae odio seu praedae dulcedine seu fauore quodam erga nos deorum; nam ne spectaculo quidem proelii inuidere. super .LX. milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare Fortuna maius potest quam hostium discordiam.

34. Angriuarios et Chamauos a tergo Dulgubnii et Cha-

---

13. cultu *γa* uultu **A′** ‖ 14. cura **H***γa* rura **A′** ‖ 16. durae **A′** durȧ **H** dure *γa*

32. 1. chattis **H***γ***A″** ‖ 2. ac **H***α* at **M** et **S** ‖ tencteri **HS***α* teneteri **M** ‖ tencteri **HSA″** teneteri **M** ‖ 4. chattos **H***γ***A** catthos *a* ‖ laus est **H** laus *γα* ‖ tencteris **HS***α* teneteris **M** ‖ 6. hec **M** hic **S***a* hoc $\mathbf{S}_2$

33. 1. tencteros **S***α* tenetcros **H** teneteros **M** ‖ 2. chamauos **HA″** chamanos *γ* ‖ angriuarios **HA″** augrinarios *γ* ‖ bructeris **H***γa* bructerÿs **A** ‖ 7. oblectationi **A″** oblectacioni *γ* oblectacione **H** ‖ 8. at **H***α* ac *γ* ‖ 9. urgētibus iam *α* ingentibus **M** in gentibus **HS** ‖ nihil *a* nichil $\mathbf{S}_2$**M** michil **S** nil **A′** ‖ p̄stare fortuna **S***α* prestare fortuna **M** fortuna p̄stare **H**

34. 1. Angriuarios **HA″** Augriuarios **M** Augrinarios **S** ‖ chamauos **HA″** chamanos *γ* ‖ Dulgubnii *Jac. Grimm* dulcubimi **H** dulcubuni **M** dulgibini cubrini **S** dulgibini *α* dulgicubini **A***2uar.* ‖ chasuarii **H***γ* thasuarÿ **A″**

suarii cludunt aliaeque gentes hau*t* perinde memoratae, a fronte Frisi excipiunt. maioribus minoribusque Frisis uocabulum est ex modo uirium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur ambiuntque inmensos || insuper lacus et Romanis classibus nauigatos. ipsum quin etiam Oceanum illa temptauimus; et superesse adhuc Herculis columnas fama uolgauit, siue adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. mox nemo temptauit, sanctiusque ac reuerentius uisum de actis deorum credere quam scire.

35. Hactenus in occidentem Germaniam nouimus. in septentrionem ingenti flexu redit. ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. | Tam inmensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. id praecipuum uirtutis ac uirium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur; prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum uirorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

36. In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt: idque iucundius quam tutius fuit, quia inter inpotentis et ualidos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas *minim*e superiores sunt. ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc

---

2. cludunt **HM***α* claudūt **S** || haud *codd.* || 3. frisi **HM** frisÿ **S***a* || frisis **H***γ***A** frisÿ *a* || 8. uolgauit **A** uulgauit **H***γa* || magnificum **H***γ* magnum *α* || consensimus *γα* consueuimus **H**

35. 2ª ps operis S_2 || 3. litoris **HA′** litéis **M** littoris **S***a* || 4. obtenditur **HSA″** obtendit **M** || 5. chattos *γ***A″** chattis **H** || sinuetur **H***γα* sinatur **H***uar.* || tam **H***γa* nam **A′** || 6. chauci **H***γ* chāci **A** chauti *a* || 7. malit **H***γα* maluit **A′** || 11. agant **H***α* agunt *γ*

36. 1. chaucorum **HS***α* chancoꝝ **M** || 2. iucundius **HS***a* iocundius **MA** || 3. ī potentis **A** impotentes **HS***corr. a* unpotentes **S***pr.* inpotentes **M** || 4. minime *Holtzmann* noīe *α* nomine **H***γ* nomina *Puteolanus* || superiores **H** superioris *γα*

inertes ac stulti uocantur: Chattis uictoribus fortuna in sapientiam cessit. | Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, aduersarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis minores fuissent.

37. Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloria ingens. ueterisque famae lata uestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem.

Sescentesimum et .X L. annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur: tam diu Germania uincitur.

Medio tam longi aeui spatio multa inuicem damna. non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeue, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. quid enim aliud nobis quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro infra Ventidium deiectus oriens obiecerit? at Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Seruilio Caepione, *Cn.*que Ma*l*lio fusis uel captis quinque simul consularis exercitus populo Romano, || Varum trisque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt; nec impune C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium uersae. inde otium, donec occasione discordiae nostrae et ciuilium armorum expugnatis legionum

---

7. Tracti **HM** T acti **A** Tacti **S***a* || cheruscorum **HS***a* cheruschorū **A** cherys eorū **M** || fosi **H***γa* fusi **A′** || 8. aduersarum rerum **HM**$_2$*α* aduersorū rerū **M**$_1$ aduersariorū **S**

37. 1. sinum **HS** finū **M** situm *α* || 4. ambitu **A***uar.* ambitū *γa* ambitum **HA** || 5. fidem **H***uar. γα* sedem **H** || 6. Sexcentesimū **H***γ* Sescentesimum *α* || .XL. **H** xl *γ* quadragesimum *α* || 7. cimbrorum **HSA″** cimborū **M** || ac **H***γ* et *α* || 8. papirio **H***γa* sapirio **A** || consulibus **SA″** consu. **H** comes **M** || imperatoris traiani (traiaui *a*) *γα* traiani imperatoris **H** || 9. ducenti **HMA″** .cc. **S** || 14. et ipse **HM** in ipõ et ipse **S** et ipõ et ipẽ *α* || 16. obiecerit **H***a* abiecerit *γ* obiecer̃ **A′** || at **HM***α* et **S** || 17. Cn. *Ernesti* marco *codd.* || qȝ **HM** q⁊ **S** quoque *α* || Mallio *ed. Norimberg. 1473* manlio **HS***α* malio **M** || 18. populi romani **A′** populi. r. **S** P.O.P.R **M** po.ro. *a* || trisque *α* tresque **H***γ* || 23. legionum **H** (*nibus* superscript)

hibernis etiam Gallias affectauere; ac rursus pulsi *iam* proximis temporibus triumphati magis quam uicti sunt.

38. Nunc de Sue*b*is dicendum est, quorum non una, ut Chattorum Tencterorumue, gens; maiorem enim Germaniae partem optinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Sue*b*i uocentur.

Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere: sic Sue*b*i a ceteris Germanis, sic Sue*b*orum ingenui a seruis separantur. in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sue*b*orum seu, quod saepius accidit, imitatione, rarum et intra iuuentae spatium, apud Sue*b*os usque ad canitiem horrentem capillum retro se*ponunt*, ac saepe in ipso solo uertice religant; || principes et ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxiae; neque enim ut ament amenturue, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti ut hostium oculis ornantur.

39. Vetustissimos seu nobilissimos Sue*b*orum Semnones memorant; fides antiquitatis religione firmatur. stato tempore in siluam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdemque sanguinis populi legationibus coeunt caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. est et alia luco reuerentia: nemo nisi uinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haut licitum: per

24. iam *Ruperti* nam **H**γ inde **A″**

38. 1. sueuis *codd.* || 2. chattorum **H**γ**A′** catthorum *a* || tencterorum **H**α teneterož **M** fecterož **S** || 3. optinent α obtinēt **HS** obtinet **M** || 4. quamquam] quam **A′** || sueui *codd.* || 5. obliquare **S**α obliqūe **M** obligare **H** || 6. sueui a **H**γ sueuia α || sueuorum *codd.* || 7. sueuorum *codd.* || 8. sepius **H** supius | sepius **M** sepe **S***a* saepe **A′** || rarum **H***marg.* γα eorum **H** || 9. sueuos *codd.* || 10. seponunt *conieci* sequuntur *a* sequūtur **HSA′** sequū **M** || in ipso solo **H** in ipō γ **A***uar.* in solo **A** solo in *a* || religant **HM***a* religant **S** religatur **A′** || 11. ornatiorem S_2α ornaciorez **S** ornatorem **HM** || habent γα habet **H** || innoxie **HM**α inopie **S** || 12. et αγ vt **H** || 13. ornantur HA_2*uar.* armantur γ**A″**

39. 1. Vetustissimos] Vetustissimo **M** || seu **HM** se α *omis.* **S** || nobilissimos **HM** nobilissimosque **S**α || sueuorum *codd.* || semnones **H** semones **SA″** semores semones **M** || 2. memorant **HS**α mēorant **M** || antiquitatis religione **H** || stato S_2*uar.* α statuto **M** estiuo **S** || 3. patruum *codd. Cremonensis, Vaticani 4498 et Vrb. 655,* cf. peduum 46, 9 patrum **HS** patriū **M**α || sacram **H** sacrarū **S** sacrum **M**α || omnes **A′** ōis **H***a* omīs **M** noīs **H***marg.* **A***uar.* nomībusqз **S** || 4. eiusdemqз **HMA″** eiussdem **S** || 8. haut **M** haud **HS**α

humum euoluontur. eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. adicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habit*are dicu*ntur, magnóque corpore efficitur ut se Sue*b*orum caput credant.

40. Contra Langobardos paucitas nobilitat: plurimis ac ualentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis ac periclitando tuti sunt.

Reudigni deinde et Auiones et Anglii et Varini et Eudoses et Suardones et *H*uithones fluminibus aut siluis muniuntur. nec quidquam notabile in singulis, nisi quod Mammun Erth*am*, id est Terram Matrem, colunt eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur.

Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in e*o* uehiculum ueste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. is adesse penetrali deam intell*e*git uectamque bubus feminis multa cum ueneratione prosequitur. laeti tunc dies, festa loca, quaecumque aduentu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddat. mox uehiculum et uestes et, si credere uelis, numen ipsum secreto lacu abluitur. serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri uident.

---

9. euoluont' *a* euoluuntur *cett.* || 11. adicit **M** adiicit **H***α* aditur **S** || semnonū **M** semonū **S***α* || 12. pagis **HS***α* *lacuna octo litterarum in* **M** || hı̃tar̃dñtur = habitare dicuntur *conieci conl. Caes. b. G. 4, 1, 4* habitantur **HM***α* habitatur **S** || corpore *γα* corpore, numero **H***uar.* tpe $\mathbf{S}_2$*marg.* tempore **HA'***uar.* || 13. sueuorum *codd.*

40. 1. langobardos $\mathbf{H}_2$ largobardos $\mathbf{H}_1$**SA** largabardos **M** lōgobardis *a* || paucitas **HM***α* pauca $\mathbf{S}_1$ || nobilitat **HM** nobilitas **S***α* || 3. ac **HM***α* et **S** || 4. reudigni **HM***a* rendigni **S** veusdigni **A'** || auiones **HMA''** aniones **S** || uarini **H***α* uarmi *γ* || 5. eudoses **HM***α* endoses **S** || suardones **H** suarmes seu suardones **S** suarmes *a* suarines **A'** smarines **M** || Huithones *scripsi* nuithones **SA** nuithomes *a* muthones **M** vuithones **H** || 7. mccmmunerthccm *archetypus* mammûn Ertham *Holtzmann* mamme nerthū **S** in commune (ɔmune *a*) nerthū **H***a* in commune neithū **A'** in cōmūe necthum **M** || 9. ea *codd.* eo *Rhenanus* || 10. concessum **HM***α* conmissū seu concessū **S** || 11. intelligit *codd.* || vectamque **H** || bubus *γα* duobus bobus *(prius induct.)* **H** || 15. nota] inmota *Freudenberg* || 18. idem lacus $\mathbf{H}^2$*γ***A'** idem lucus $\mathbf{H}^1$ lacus | idem *a* || 19. arcanus *α* archanus **H***γ*

41. Et haec quidem pars Sueborum in secretiora Germaniae porrigitur: propior, ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuuium sequar, | Hermundurorum ciuitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae prouinciae colonia. passim sine custode transeunt; et cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos uillasque patefecimus non concupiscentibus. | In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur. 42. Iuxta Hermunduros Narisci ac deinde Marcomani et Quadi agunt. praecipua Marcomanorum gloria uiresque, atque ipsa etiam sedes pulsis olim Bois uirtute parta, nec Narisci Quadiue degenerant: eaque Germaniae uelut frons est, quatenus Danuuio peragitur.

Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges mansere ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. sed uis et potentia regibus ex auctoritate Romana: raro armis nostris, saepius pecunia iuuantur, nec minus ualent.

43. Retro Marsigni, *C*otini, Osi, Buri terga Marcomanorum Quadorumque cludunt. e quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Sue*b*os referunt. *C*otinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Cotini, quo magis pudeat, et ferrum

---

41. 1. sueuorum **H**$_2$*a* uerborum **H**$_1$**MS***corr.***A′** b'borū **S***pr.* ‖ 2. propior **H**$_2$**S***α* proprior **H**^{1}**M** ‖ 3. danuuium **HA** danubuiū **M** danubium **S***a* ‖ 5. retie **A″** recie **H***γ* ‖ 9. inclitum **H** inditum **M** inclȳtū *α omis.* **S** ‖ et notum] ignotū **S**

42. 2. narisci **HM***a* norisci **S** naristi **A′** Varisti *Müllenhoff* ‖ marcomani **HA″** marcomã **M** marchomâni **S** ‖ 3. marcomanorum **HA″** marco|morū **M** marchomânorū **S** ‖ ipsa etiam **A** ipsa eciam **M***γa* etiā ipsa **H** ‖ 4. bois **HA″** boÿs *γ* ‖ parta **HS***a* parca **M** parata **A′** ‖ naristi **S***α* narisci **M** ‖ 5. danuuio **HA** danubio *γa* ‖ peragitur **S** pagitur **H**$_1$**M** pgit' **H**$_2$ porrigitur *a* ‖ 6. Marcomanis **HM***a* .arcomanis **A** Marchomânis **S** ‖ 7. marobodui **HM***a* marabodui **A** maroboditani **S**

43. 1. Retro **H***γ*. Retro *α* ‖ Cotini *Müllenhoff* gotini **HS***α* gothim **M** ‖ osi: buri **H** osi. buri **A′** osi buri **S**$_2$*a* osiburi *γ* siburi **H***uar.* ‖ marcomanorum **HMA″** marchomânorū **S** ‖ 2. quadorumqʒ *γα* retro **H**$_1$ *omis.* **H**$_2$ ‖ cludunt **H** claudunt *γα* ‖ 3. cultuque **S***α* cultu **HM** ‖ sueuos *codd.* ‖ Cotinos *Müllenhoff* gotinos **HMA′** gottinos **S** uotinos *a* ‖ 6. cotim **M** gotini **HS***α*

effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et uertices montium iugumque insederunt. dirimit enim scinditque Sue*b*iam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt, ex quibus latissime patet L*ue*giorum nomen in plures ciuitates diffusum. ualentissimas nominasse sufficiet, Harios, Helueconas, Manimos, Helisios, Nahanarualos. apud Naha*na*rualos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. ea uis numini, nomen Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis uestigium; ut fratres tamen, ut iuuenes uenerantur.

Ceterum *H*arii super uires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truc*e*s insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente nouum ac uelut infernum aspectum; nam primi in omnibus proeliis oculi uincuntur.

Trans Lygios Gothones regnant*ur* paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.

Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemonii. omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breues gladii, et erga reges obsequium.

44. Suionum hinc ciuitates ipsae in Oceano praeter uiros armaque classibus ualent. forma nauium eo differt quod utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec uelis

9. sueuiam *codd.* || 10. Luegiorum *scripsi* lygiorū **A**$_2$*uar.* legiorum *γα* vegioꝝ **H** Lugiorum *Müllenhoff* || 12. heluecanas **S** helúetonas **MA′** heluetionas *a* Heluaeonas *Müllenhoff* || lanimos **H** manimos **SA′** manumos *a* maninus **M** || helisios **Hγ** helysios **A″** heliosnàs **H** *superscr.* haliosnas **S**$_2$ halisio[s]nas **A***uar.* || nahanarualos **HA″** na hanar ualos **M** naharualos **A**$_2$*uar.* nahauerhales **S** || 13. naharualos **Hα** nabarnalos **M** nahauernales **S** || 16. alcis **HSA″** altis **M** || simulacra **Mα** simulachra **HS** || 19. arÿ **S** *et* **S**$_2$*marg.* alÿ **HSα** alys **M** || 20. truces *Beroaldus* trucis **Hγα** || feritati **S**$_2$*α* feritate *γ* feritatis **H** || 26. lygios **A** ligyos **S**$_2$ ligros **S** ligios **Ma** || 26. regnantur *Vaticani 2964. 4498 et Cremonensis* regnant **Hγα** || 29. lemonÿ **Hγ** lemouÿ **A″**

44. 1. Suionum **Hα** sui oīn **M** si nouū **S** || ipse **HA″** ipō *γ* || occeano **H** oceanū **Mα** occeanum **S**

ministrantur nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc uel illinc remigium.

Est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem seruo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosa porro armatorum manus facile lasciuiunt: enimuero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est. | 45. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adicit. illuc usque, et fama uera, tantum natura.

Ergo iam dextro Sue*b*ici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus ritus habitusque Sue*b*orum, lingua Britannicae propior. matrem deum uenerantur. insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis *h*om*in*umque tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat: rarus ferri, frequens fustium usus. frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi gl*a*esum uocant, inter uada atque in ipso litore legunt. nec quae natura, quaeue ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumue; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. sucum tamen arboris intell*e*gas, quia terrena quaedam atque

---

8. exemptionib' **H**$_2$ ‖ 10. subitvs **S**$_2$

45. 1. suionas **HA″** sinonas **S** suiones **M** ‖ 2. cludiqȝ *α* claudiqȝ **H***γ* ‖ 4. in ortus edurat **H**$_2$*a* in ortu se durat **H**$_1$**S** mortu sedurat **M** in ortum edurat **A′** ‖ hebetet *a* ebetet **A** ebetet et **H** habet et **M** habet **S** ‖ 5. deorum **H***α* eorũ *γ* ‖ 7. sueuici **HS** sæuici **A** seuici **M***a* ‖ litore **MA′** littore **HS***a* ‖ aestiorum **A***a* estiorũ **HM** aestorũ **S** ‖ 8. adluuntur **HS***corr.a* adbuuntur **S***pr.* adlunutur **M** abluuntur **A′** ‖ sueuorum *codd.* ‖ 10. hominum *Vrlichs* omnium *codd.* ‖ 11. hostis **A″** hostes **H***γ* ‖ 15. glesum *γα* ‖ litore **M** littore **HSA″** ‖ nec quae] neqȝ **H** ‖ 20. sucum **MA** succum **HS***a* ‖ arboris **H** *cf. Plinius n. h. 37, 43* arborum esse *γα* ‖ intelligas **H***α* mtelligas **M** intellig*a*s **S**

etiam uolucria animalia plerumque interlucent, quae implicata *u*more mox durescente materia cluduntur. fecundiora igitur nemora lucosque, sicut orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita occidentis insulis terrisque inesse crediderim quae uicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac ui tempestatum in aduersa litora exundant. si naturam sucini admoto igne temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem, mox ut in picem resinamue lentescit.

Suionibus Sitonum gentes continuantur. cetera similes uno differunt quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a seruitute degenerant. hic Sue*b*iae fin*is*.

46. Peucinorum Venethorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito, quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas uocant, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor procerum co*n*ubiis mixtos non nihil in Sarmatarum habitum foedan*t*. Venethi multum ex moribus traxerunt. nam quicquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium erigitur latrociniis pererrant: hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et ped*u*um usu ac pernicitate gaudent, quae omnia diuersa Sarmatis sunt in plaustro equoque uiuentibus.

Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non

---

21. uolucria] volucra **H** ‖ 22. humore *codd.* ‖ cluduntur *γα* claudunt' **H** ‖ 23. tura *α* thura **H***γ* ‖ 24. sudantur **HS***a* fudant' **M** sudāt **A′** ‖ 25. radiis **HM** radius **S***α* ‖ 26. mare labuntur] labunt' mare **H** ‖ vi **H***α* in (m **M**) *γ* ‖ litora **M** littora **HSA″** ‖ 27. sucini **A** suaȝ **S** succini **H***a* sucū **M** ‖ igne **H***γ* igni *α* ‖ 29. resinam ue *γα* resinamque (ve *superscr.*) **H** ‖ 30. Suionibus **HA′** Suionihus *a* Sinonibȝ **S** Smommbus **M** ‖ gentes continuantur **H***γ* gens continuatur *α* ‖ 31. differunt **S***α* differuntur **HM** ‖ 32. degenerant **H***γa* degeneratur **A′** ‖ sueuie **HSA″** sûtuie **M** ‖ finis *Arundelianus* fines **H***γα*

46. 1. Peucinorum **S**$_2$*α* (Peucini **H** *superscr.)* Pencinorū **M** Prutinorū **S** Peucurorum **HS**$_2$*uar.* **A′***uar.* ‖ uenethorūqȝ **HA** uenetorūqȝ *a* venetorū qȝ **M** venetorū **S** ‖ fennorum **HS***α* fennorū **M** ‖ 2. peucini **H***α* pencini **M** prutini **S** ‖ 3. quidem **HM***pr.* ‖ 4. ac torpor procerum **HS***α* actor pro | procerum **M** ‖ 5. connubiis *codd.* ‖ mixtos **H***γ***A″** ‖ foedant *Ruperti* fedantur **HS***α* ſedant̃ **M** ‖ 6. Venethi **HA″** Veneti *γ* ‖ 7. peucinos **H***α* pencinos **M** peutinos **S**$_2$ prutinos **S** ‖ fennosqȝ *γα* ſennoſqȝ **H** ‖ 9. domus **H** domos *cett.* ‖ fingunt **H***γa* figunt **A′** ‖ et] ac **H** ‖ peduum *scripsi* pedum *Lipsius* peditum **H***γ* pecudū *α* ‖ 12. Fennis **H***α* Ffennis **M** femÿs **S**

equi, non penates; uictui herba, uestitui pelles, cubile humus: solae in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque uenatus uiros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt iuuenes, hoc senum receptaculum. sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque uersare. securi aduersus homines, securi aduersus deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne uoto quidem opus esset. | cetera iam fabulosa. Hellusios et Etionas ora hominum uoltusque, corpora atque artus ferarum gerere. quod ego ut incompertum in medium relinquam.

---

14. sole **HA″** sola **S** || sagittis *γα* sagitis **H** || spes] opes *Meiser* || 17. imbriūqȝ **M** hymbriumqȝ **SA″** qȝ imbrium **H** || 22. difficillimā **M** difficilimā **HS** difficilem *α* || 23. etionas **A′***uar.* *Vaticani 2964. 4498* exionas **S** oxionas *α* oxianas **M** || uoltusqȝ **A″** vultusqȝ **H***γ*

CORNELII TACITI DE ORIGINE ET SITV GERMANORVM LIBER EXPLICIT **MA** Finis **H***a* *subscriptione caret* **S**

INDEX VERBORVM.